



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXXXIX. Num Angelus necessario sit, vbi operatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

inunctio, quæ est prior, quam distantia est propria rerum spiritualium, aut habentium modum spiritualium cum corporeis: nam corpus extensum in ordine ad locum cum alio sic extenso ita vnitur, seu coniungitur propinquitate, ut prior sit distantia secundum locum à punctis fixis in vitroque corpore, quam inter se coniungantur propinquitate.

DISPUTATIO CLXXXIX.

Num Angelus necessario sit, ubi operatur.

Angelum posse operari, ubi non est, non pauci Theologi docent, capit. 1.

Angelum indigere loci propinquitate, & continuatione ad operandum probabilius opinio fert. cap. 2.

Argumentis prioris sententia sit satis. cap. 3.

CAPUT I.

Angelum posse operari, ubi non est, non pauci Theologi docent.

Quamvis ratio existendi in loco, non sit Angelo sua operatio, ut superiori disput. conclusum est; non tamen propterea efficitur, ut possit operari ubi non est: fieri namque potest, ut saltem hæc duo connexa sint ex natura rei, etiam si operatio non sit fundamentum præsentia. Quocirca inter Scholasticos alia difficultas de hac re & dissensio superest: inter quos non pauci, nec indocti antiqui, & recentiores censent Angelum posse operari, ubi non est præsens substantia eius. Sententia est Gabr. in 1. dist. 37. q. 1. art. 3. dub. 1. & Ocam eadem dist. & quest. ante medium: imo de corporeo agente idem arbitratur. Consentit Hervaeus tract. de motu Angelorum, q. 1. ad 3. obiectionem contra suam sententiam, & sequuntur non pauci recentiores, qui pro eadem opinione allegant. Durand in 1. dist. 37. 2. part. q. 1. nu. 26. & Caietan in commentario huius art. eo quod doceant, inter Angelum, & corpus solam esse necessariam præsentiam ordinis, non autem substantialem, ut Angelus operetur; perpetram tamen citantur. Nam utique, ut præcedenti disputatione vidimus, plane affirmat Angelum collocari præsentem secundum suam substantiam corpori, antequam operetur: Caietanus particulari corpori, Durand. vero omnibus corporibus: solum addidit Durandus, Angelum non esse præsentem sibi, hoc est quantitate: huius enim existimavit esse proprium habere situm: ob id tamen non negavit præsentiam realem substantia, ut ibidem explicatum est. Multis tamen videtur Scotus huic opinioni adhæsisse 1. dist. 37. quest. unica, §. respondet, cum de agente etiam corporeo idem existimare videatur: docet enim, agens corporeum communiter proximum esse debere passio, quamvis agere possit in remotum per medium, & alioquando alia actione diversa in proximum, quam in remotum: sicut corpus celeste generat in visceribus terræ metalla, quæ non producit in alijs corporibus medijs: & piscis immittit stuporem in brachium piscatoris, non in hamum, chordam, & arundinem. Contingit autem hoc, inquit Scotus, una ex duabus causis, aut quia duplex potentia agentis coniuncta, quatum simul altera agit in proximum, altera in remotum: ex quo videtur a-

Parquet in 1. partem Tom. II.

gere in remotum per medium, cum reuera non agat, quia est diversa potentia, & operatio in vnum, & in alterum: aut quia agens est imperfectum, & patitur defectum virtutis operantis: ideoque agit prius secundum potentiam & formam imperfectiorem, quam secundum perfectiorem: sicut generans prius alterat subiectum secundum formas accidentarias, deinde inducit subiectum tale, & corrumpit contrariam. Hinc colligit Scotus in hunc modum, si ergo in agente duæ illæ potentia non coniungantur, & ea solum maneat, quæ apta est operari in remotum, & non sit agens imperfecte virtutis, quod prius debet operari imperfectius; nulla subest ratio, ob quam neque agere in remotum. Vtrum autem id de facto conveniat alicui agenti creato intellectuali, an necessarium in omni creato efficienti coniungantur duæ illæ potentia, aut sit modus ille imperfectus operandi, non explicat: hinc enim solum probare contendit, Deo minime repugnare, operari in aliquid distans, quantum est ex parte principij operandi: tamen si alioqui, propter suam immensitatem, ubique necessario sit, ut disput. 28. capit. 1. & 3. memoravimus. Quare non video, an Scotus pro hac sententia debeat referri, vel ea ratione præcipue, quod in 2. distinct. 2. q. 6. §. Contra conclusionem, ex propria sententia plane ponuntur, agens limitata virtutis necessarium debere esse præsens, ut operetur: ac proinde Angelum prius natura in loco esse, quam operetur in eo. Hanc tamen priorem sententiam sequuti sunt Avicenna in libro de anima, sectione 4. cap. 4. & Alexander Aphrodisius 1. Metaphys. commento 18.

Recentiores denique, ita hanc complectuntur sententiam, ut nihilominus asserant, limitatam esse virtutem Angeli, certamque sphaeram naturæ suæ requirere, intra quam operari possit in distans, ultra illam vero non valeat. Confirmant autem hanc sententiam ex agentibus corporeis, ex quibus putant aliqua esse, quæ intra certos terminos agunt in distans, sine medio, multo ergo magis id Angelo concedendum est, qui per intellectum, & voluntatem operatur: in corporeis autem id constare videtur. Primum, quia aliqua meliorem effectum producant in distans, quam in proximo, ut ignis in stipula, aut alia materia bene disposita, quam in aëre propinquo: hunc enim non accendit, stipulam vero, aut aliam materiam comburit: & Sol generat mineralia in terræ visceribus, non in aëre: & piscis stuporem & torpedinem immittit in brachium piscatoris, non in hamum, chordam, & arundinem: unde & piscis nomen accipit, & dicitur Torpedo: hunc effectum tribuit pisci Plin. lib. 32. c. 1. refert etiam Arist. lib. 9. de hist. anim. cap. 7. hunc piscem immittere torpedinem & stuporem in pisces, quos appetit, ut illos capiat, eisque vescatur, eum tamen non immittit in aquam, quæ est interiecta. Demum si quis vas æreum plenum aqua igni admoveat, semper ita contingit, ut aqua intus conclusa, in quam ignis remote agit, calidissima sit, æs autem, in quod ignis proxime operatur, frigidum maneat: quibus exemplis adstruere non dubitant duplicem illam virtutem in vno agente, quam Scotus excogitavit. Et quamvis re ipsa non separentur, est tamen aliqua vis, quæ in distans operatur, etiam si alia, quæ solum in proximum agit, ipsam comiteretur: quare absolum non erit, hanc solum in Angelo

pp. 4. conce.

452

concedere, quia sola pro voluntate sua, operari possit. Deinde, quia agens naturale perfectius agit in partem anteriorem, ante quam nullum est impedimentum, etiam si remotior sit, quam in propinquiori, ante quam habet aliquod impedimentum: ergo est aliqua virtus, quae agit in distans, sine medio, licet non ita perfecte, veluti ignis calefacit melius partem anteriorem, quam ante se sine obstaculo habet, quam partem illam, ante quam aliquod est impedimentum.

Ratione
probat.

Sed ratione peculiari de Angelis id probatur: nam si in corporibus agentibus requiritur propinquitas loci, id provenit ex materia, & quantitate, quae videntur determinata, ut non nisi contactu operentur: sed spiritualia, cum careant materia, & solo nutu voluntatis operentur, non videntur requirere praesentiam, aut propinquitatem; vel satis erit esse in aliqua parte corporis, quod movent, etiam si non sint omni parte, in quam operantur; sic autem aliquando agent, ubi non erant.

CAPUT II.

Angelum indigere loci propinquitate, & continuatione ad operandum probabilior opinio fuit.

5.

MIXTAE autem opposita sententia videtur amplectenda, quam ceteri omnes Scholastici praecedenti disputatione allegati, ut notam supponere videntur, & Scotus, ut cap. superiori retulimus, videlicet Angelum semper operari in remotum effectu continuo derivato, & diffuso per medium. Quam sententiam triplici ratione monstrare conabor. Prima ratio. Si Angelus posset in distans operari sine medio, nullus terminus assignari posset, intra quem necessario deberet in distans operari: nam si semel actio Angeli non debet ultique ad terminum continuari, certe distantia illa, quae vacua est effectu Angeli; nihil conducit, neque nocet virtuti illius ad operandum: est enim omnino per accidens, esse maiorem, aut minorem, cum virtus agentis in ea non infumatur: in ceteris enim agentis eo distantia limitat operationem, quod continuo per illam effectus virtutis diffunditur, & quo maior distantia est, maior est effectus continuatus per illam actione operantis: Quare si Angelus, verbi gratia, mouere potest pondus centum librarum, & hoc potest mouere diffusum a se per mille passus, non virtute diffusa per medium, sed nutu solius voluntatis: certe idem omnino videtur effectus, si moueat pondus in duplo maiori distantia: cum distantia ipsa, nec augeat effectum, nec quidquam obstat, aut conferat ad actionem, sed omnino negative se habeat: ac concedere, Angelum posse mouere in quacunque distantia abutendum est.

Secunda
ratio.

Secunda ratio. Si Angelus posset in distans operari, non super esset, ubi operatur; quare nec in corpore assumpto necessario esset secundum substantiam, quod videtur contra communem sententiam, & aperte contra Damascenum lib. 1. de fide, capitulum 17. ubi de Angelo ait: Nec alibi est, verum intellectualium in modum illius circumscribitur, ubi operatur.

Tertia
ratio.

Tertia ratio, de agentibus corporeis probatur: experimento namque compertum est, nullum agens operari in materiam distantem, sine aliqua operatione huius, aut alterius rationis diffusa per medium; signum ergo est, operationem in distans,

pendere ab ea, quae sit per medium, quatenus illa sit, nam si duas illas potentias, altera quae operatur in distans, altera quae operatur in propinquum medium, per accidens in eodem agente coniungerentur; accidentarium esset omnino, vnam prius, quam alteram operari, ac proinde aliquando vna sine alia operaretur: quod enim ab alio nullo modo penderet, & per accidens ei coniungeretur, sine illo aliquando inuenitur: atqui nullum agens operatur aliquid in distans, quin operetur in propinquum aliqua actione: signum ergo est, actionem in distans ab actione in propinquum pendere: quod si aliquod corpus in distans posset agere sine medio: etiam si vacuum intercederet, operari posset: siquidem medium nihil iuvat ad agendum in remotum. Verum quis discat, piscem immisurum torpedinem in brachium, ignem vero calorem in distantem materiam, Solem denique producturum mineralia in terra, si medium vacuum esset: est igitur aliqua, vel minima operatio per medium diffusa, quae iuvat actionem illam in distantem materiam derivatam, aut alioquin & piscis laederet brachium siue chorda, & hamo, & arundine, vel per arundinem etiam laederet piscatorem, etiam si illam manu non teneat: aut certe Sol illuminaret aërem in cubiculo conclusum, si enim medio non indigeret ad operandum, nec corpus opacum oppositum operationem eius impediret, ea enim solam ratione impedire poterit, quia cum illuminatio debeat esse continua, & corpus opacum illam recipere nequeat, ultra procedere non potest: cum igitur haec fieri sit impossibile, quis neget, operationem agentis paulatim per medium diffundi: Quod si in corporeis id ita fieri videmus nulla nobis suppetit ratio, ut de Angelis oppositum asseramus. Dicamus ergo de illis eodem modo, atque de corporibus, videlicet, non posse operari in distans, sine medio: ita ut saltem Angelus in ea parte esse debeat secundum substantiam, a qua virtus eius, & effectus continuo diffunduntur in partes remotas: tamen necesse non sit, esse in omni parte corporis, in quam virtus eius pertingit: si enim corpora existentia in vna parte continuo per reliquas, in quibus non sunt, virtutem suam deriuant, multo melius id Angelis concedendum est.

CAPUT III.

Argumentis prioris sententiae satisfactum.

IAM vero fundamenta prioris opinionis conuellere, operosum non est. Ad primum respondeo, quodam agentia ideo meliorem, aut diuersum effectum producere in materia remota, quam in propinqua, non quia virtus eorum, & operatio peculiaris perueniat in remotum, sine medio, sed quia materia non est eodem modo capax, aut disposita: quare actio continuo derivata ab igne per aërem, in aëre non producit ignem, sed magnum calorem: in stupa vero, & densiori alia materia, quae aptior est combustioni, producit ignem: & quamuis ratio Physica speciatim nobis esset ignota: tamen in genere scire, materiam non esse eodem modo dispositam, aut capacem effectus. Idem omnino dicendum est de Sole, qui mineralia in visceribus terrae producit, non in aëre, eadem luce per aërem in terram diffusa. Eodem modo piscis stuporem immittit in brachium, non in hamum, chordam, & arundinem.

aliqua qualitate per medium illud usque ad brachium derivata, & similiter stuporem immittit in alios pisces, non autem in aquam interiectam aliqua qualitate per aquam derivata, ut supra manifeste reuicimus. Rationem vero peculiarem huius diuersitatis assignare, difficile non arbitror. Primum de stupore, & mineralibus facilius est, quia stuporis, & effectus veneni, qui fit in animalibus, non est capax hamus, chorda, vel arundo: est enim effectus ille aegritudo quedam: hæc autem est affectio animalium: quare non mirum, si una qualitas arundinem non lædat, nec effectus in illa sensibilis appareat, lædat tamen manum tenentem. Mineralia vero, cum magnam, densamque multitudinem materie possident, necin aëre, nec in aqua, sed in terra fieri possunt: eademque lux, quæ illuminat aërem, & aquam, & alia etiam in his operatur calefaciens terram per reflexionem, mineralia in ipsa generat.

Hic tamen obiter obseruandum est, ita cælum media luce continuo diffusa usque ad terram generare in terra animalia, & mineralia, non quia ipsum sit agens propinquum introducens formam substantialem, sed quia conseruat lucem in medio, & lux conseruata efficit calorem aliaque qualitates proximè disponentes ad formam substantialem. Nam si lux conseruaretur absente. Sole idem omnino effectus naturaliter fieret, ac si Sol præsens esset, & continuo ab eo lux derivaretur: ergo eius præsentia non est necessaria ad introducendum formam substantialem, quemadmodum & semen decilium in absentia animalis, quod illud emittit, generat animal, & calor sine igne generat ignem in materia aliqua apta. Existimo namque aut semen, aut accidentia proximè disponentia ad formam substantialem non indigere adiutorio, aut elevatione alterius agentis, ut introducant formam substantialem: dicuntur autem instrumenta ea sola ratione, quia sunt virtutes derivatæ à tali substantia, ratione cuius vim habent naturā producendi substantiam, de quo Philosophi falsius disputant.

Deinde de effectu illo ignis in stupra, aut alia materia distanti, quæ comburitur, non minus vera ratio reddi potest, tamen si difficilis appareat: ea vero est, quia ignis ut flammam accendat, & comburat, eget materia quadam exhalationis: flamma enim nihil aliud est, quam fumus accensus, ita in fornacibus sæpius videmus, suffocata flamma, deorsum aliqua materia, illam deinde in fumosam exhalationem calore prunatum resolui, & in altum leuatam inflammar. Quia igitur ignis in aere non inuenit materiam aptam fumosæ exhalationis, at ex stupra, vel densiori aliqua materia eam faciliè resoluunt: ideo nimius calor ignis non inflammat aërem contiguum, accendit tamen stupam, vel densiorem aliquam materiam. Horum igitur omnium eadem ratio est, cur idem effectus non fiat in proxima, & in remota materia, quia videlicet non sunt æquæ aptæ & dispositæ proxima, & remota ad eundem effectum.

Ad illud exemplum de aqua vase æneo conclusa, & ignitaduncta dico, falsum esse, vas ipsum frigidum manere, quando aqua ipsa calidissima est: sed experientia solum docet, vas ipsum ea parte, quæ contingit aquam, esse minus calidum, quam sit aqua feruida intus cōclusa, ita ut plus temporis possit quis vas ipsum manu tractare, quam aquā.

Ratio vero huius discriminis non prouenit ex eo, quod agens physicum agat in remotam materiā, siue medio: alioquin nullo modo calefaceret ipsū æs: sed quia, ut dicunt nonnulli ex aqua per resolutionem fit substantialis quidam vapor, qui multo calidior est, quam partes aquæ grossiores, quæ manent: hic autem feruor ascendit in superiorem partem aquæ, cuius ascensu feruet ipsa aqua, partes autem non tam calidæ manent inferius, & illæ refrigerant partes valis, quas cōtingunt, & actionem ignis in ipsum æs aliquantulum retardant. Verum cum non solum partes valis inferiores, sed etiam omnes circum circa minus calidæ sint, quam ipsa aqua, aliquid aliud dicendum est.

Respondeo igitur, per omnem partem manere partes grossiores aquæ confunctas valis, & ita ab eis refrigerari aliquantum ipsum vas: partes autem subtiliores nempe vapores non adherere valis, sed statim exhalari per aquam: & ita ratione earum minus posse aquam à nobis tractari, quam vas: quare si aliam crassiorē materiam calefactā vas ipsum contineret, ut plumbum liquefactum: non possemus ipsum vas facile tractare, sicut neque plumbum liquefactum, aut densiorem illam materiam. Porro autem refrigerari aliquantulum vas ipsum à partibus aquæ grossioribus inde probari potest, quia si vas illud habeat anulas, quas aqua proximè non contingit, multo sunt calidiores, quam partes ipsius valis, quæ aquam proximè contingunt, quia anulæ ab aqua refrigerari non possunt. Adde etiam quod aqua, quod magis penetrat instrumentum tactus, multo facilius percipitur, quam æs ipsum calefactum, quare etiam si diceremus aquam, & partes valis esse æque calefactas, non sequeretur posse æquè bene à nobis manu tractari: quia magis sentitur æqualis calor in corpore liquido & fluido, quam in denso.

Tandem de igne, cur citius calefaciat partem remotam per lineam rectam, quæ non est impedita, quam illam, quæ est impedita: per lineam reflexam calefaciat, manifestum est: cum enim sit obstaculum per lineam rectam, emittere nequit in illam exhalationes calidas, quibus calorem suū diffundit: ideoque opus est, ut prius calefaciat remotiorem per lineam rectam, mittens illas calidas exhalationes, quæ per reflexionem diffunduntur in eas partes, in quas ab igne per lineam rectam non poterant peruenire: & ita rectè considerata via, qua tendunt exhalationes partes, quæ videbantur propinquiores, remotiores sunt. Et certe alia ratio assignari non potest, ob quam ignis non agat tam cito in partem illam: quæ habet oppositum impedimentum, nisi quia calor debet per lineam rectam continuo operari. Quod si operari posset sine medio, statim in partem illam impeditā citius operaretur, ut c. præced. d. ducebamus.

Eadem ratione dicta, hoc est, ob diuersitatem materie sit, ut magnes attrahat ferrū, & non materiam aliam; etiam propinquiorem, non quia virtus eius & effectus sine medio ad ferrum perueniat: virtus enim magnetis per aërem continuo, usque ad ferrū diffunditur, imo etiam per lignum: huius autem euidentis indicium est, quia si inter ferrum, & magnetem eadem distantia, in qua antea trahebatur ferrum, poneretur obstaculum ali- quod densioris materie, quod virtus magnetis penetrare non posset, ferrum non traheret: quod si magnes medio non indigeret, sed certa distantia